



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

n. 3.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1582. daretur; ut citâ nobilibus si Regi non liceret. Quorû primû illud erat, vt patrociniû susciperet afflictorû Catholicorû maximè si qui in Scotiâ confugerent; eo quod Catholici soli erunt qui illi fauebunt in Iure Regni Angliæ hæditario tuendo. Secundû erat exponere rationes multas & magnas quæ Regem mouere debebant ad fauendum Catholicis & corû Religioni, & ad detestandos Hæreticos; quales erant, securitas in Regno suo, successio in Regnum Angliæ, quam solum per Catholicos obtinere poterat; amicitia vicinorum Principum Catholicorum, respectus matris tam innocentè repullæ & carcere detentæ; Occisus Pater ob hæreticis; Infidiæ Vitæ suæ sæpissimè ab hæreticis positæ, discoopertæ & auxilio Catholicorum per Dei bonitatem vitata. Denique offerret Regi tam suorum quam nostrorum Catholicorum auxilium, maximè vero nostrum qui sacerdotio fungebamur, ad reducendû Regnum Scotiæ ad fidem Catholicam, cum quocunq; etiam vitæ nostræ dispendio. His acceptis instructionibus discessit. Ingressus est Scotiam, & per Dei gratiam felicem admodum successum habuit, vt ex sequentibus eius literis apparebit. Quæ erant tamen præcipua & maxime secreta non audebat literis committere, sed famulo suo mandauit vt mihi soli narraret, & nulli alteri mortaliû præterea; famulus autem cûm Londinum venisset, & me non reperisset, non ausus est hominibus à me meo loco relictis sibi à Domino commissa narrare; Reliquit tamen sui Domini literas quæ mihi statim transmissæ fuerunt, & vterius adiecit (quod etiam ex sequentibus literis patet) Dominum suum optimè à Scotis acceptum, & illos omnia mihi, & à me mittendis promittere: Et diem esse constitutum quo ego cum multis nobilibus Scotiæ colloquiû haberem, scilicet diem vigesimum sextum septembris præsentis, quod nullo modo iam à me expleri potest, quia hodie agitur is dies. Literarum autem exemplar hoc est in quibus animaduertendum, quod vbi nomen est Domini Redman, me intelligit.

III. Cûm primû Scotiam ingressus sum, necessitate quadam coactus, nè in pericula maiora inciderem, contuli me ad habitationem Guardiani Scotiæ, qui Calvinista est; Locus autem habitationis Seiford appellatur; ibi rogatus quâ de causa veneram, respondi refugij causa, vt pote ob conscientiam patriam expulsi; quod refugium ipsis etiam malefactoribus non negabatur, & multo minus negari debeat Religionis causa exulantibus. Respondit Guardianus non posse esse maius maleficium aut peccatum quàm malæ esse Religionis, & Ecclesiæ Christi inimicum. Hoc verissimum est, inquam ego, sed tota controuersia in eo est, qui sint inimici Ecclesiæ. At illud, inquit ille, extra controuersiam est, Papistas esse; quo audito subridens, dixi, à cœna, si placet, illud viderimus: Finita cœna factum fuit capitulum, vt appellant, hoc est, vnus ex Ministris (nam aderant tres) lecto primum Plalmo, concunclâ habuit, quâ durante, tam Guardianus ipse cum vxore, quàm multi alij nobiles & perhonorati viri apertis capitibus reuerenter auscultabant: Ego solus tectò capite sedebam, cum multorum admiratione; finita tamen concione

concione exhibitâq; à me omni debita reuerentia Nobilibus viris qui adierat, 1582.
Rationem reddidi quare caput detegere in ministri concione nolueram: At
inquit Guardianus saltem verbo Dei reuerentiam debebas.

Ego vero, scriptura, inquam, perperam exposita non est verbum Dei, quia
fallum continet, quod abest longè à verbo Dei. Hoc audio aduocauit ille
Ministram vt se tueretur. Minister audito hoc principio sermonem omnem
detrectabat; at vrgebat eum Guardianus: Tandem venimus in eam contro-
uersiam, an solius Ecclesiæ sit de sensu scripturarum iudicare; in qua discuti-
enda tantùm morati sumus, vt tandem Guardianus diceret sibi tantum dis-
plicere opinionem & argumentationem ministrorum, vt in posterum non
tam facilè condemnaturus esset Papistas: Addidit tamen, postero die, qui
fuit dominicus, & vigesimus septimus Augusti, insignem quendam Con-
cionatorem affuturum, qui mihi in omnibus satisfaceret; Dixi, mihi iam
esse satisfactum à meis, & me cupere satisfacere alijs de veritate Catholicæ
Religionis, maximè vero Illustrissimæ suæ Dominationi, eaque de causa
libenter cum illo collaturum; postero ergo die lummo mane venit minister;
antequam ego adhuc horas meas canonicas absoluissem; Quidam autem ex
famulis mihi nunciavit me iam à Guardiano & reliquo consensu (erant enim
plusquam centum) expectari: Festinaui; veni in aulam, & post reueren-
tiam præsentibus exhibitam, petij à ministro vt proponeret quod vellet, aut
mihi facultatem proponendi concederet. At ille Concionatorem se, non
disputatorem esse, neque velle mecum ad lites & cauillas descendere; neque
mihi, inquam, propositum est litigiosum aut cauillatorem agere; sed pa-
catè & sobriè veritatem disputando manifestam reddere, idque vel latino
vel vulgari sermone; imò vulgari, inquit Guardianus, vt nos omnes intel-
ligamus; sed nullo modo, nullâ exhortatione, nullâ Guardiani obiurgatio-
ne poterat adduci minister vt argumentandi legibus consentiret; quo per-
motus Guardianus, verè, inquit, video, nos posse decipi & in errore versari,
imò quidam generosus Scotus, gratiæ sunt inquit agendæ Deo quod adhuc
superfint aliqui qui possunt veterem fidem nostram eruditione tueri: Post
hæc coram omnibus promisit mihi saluum conductum per totum Regnū
Scotiæ, quod statim scripto præstandum imperauit, tam mihi quàm etiam
famulo meo, hoc item addens se cupere longiorem alio tempore de his rebus
collationē, aut mecum, aut cum alio quocunq; à me ad eum transmissio, cui
omnem humanitatem & securitatem promittebat. Ab hoc discessi ad Do-
minum Baronem de Grencknols, qui animo fauet Religioni Catholicæ, eâ
frigiditate quâ hic solent; cui cum animum meum aperuissem, & deside-
rium sacerdotum Anglorum adeundi quæuis pericula, & vitæ expen-
dendi pro salute Scotorum, & pro reductione eorum ad vnitatem Ecclesiæ Ca-
tholicæ, cum etiam significassem aliquibus iam esse in animo coniungere
sua studia suolq; conatus cum sacerdotibus Scotis ad illum finem, & tentare
per Dei gratiam quid in ea re fieri possit, exultans gratias egit Deo de tam

1582. sanctis cogitationibus, & rogatus à me postea vt haberet curam suæ animæ rediretq; ad vnitatem Ecclesiæ, promptiorem se præbuit ad præstandū quàm ego esse poteram in rogando. Initio tamen (quod oblitus eram dicere) requirebat à me valde, aliquam cōmendationem ad Reginam Scotiæ, ex quo D. Redman poterit conijcere quo ei opus sit si in hac partes veniat. Hinc transiui per alium Baronē è familia Setonenſi hæreticū valde in cuius mensa infinitas & horrendas Blasphemias audiui, sed nè verbum quidem dixi, donec finitâ carnâ per horam opinor & dimidiam sermonem cum illo habui contra huiusmodi blasphemandi ferocitatem, multis vtrimque habitis argumentis, quibus absolutis mihi egit humanissimè gratias promittens se in posterum minori vchementia vlturum in Catholicos, & domum suam tam mihi quàm cæteris Catholicis Anglis semper fore paratissimum hospitium. Tandem Ederburgum deveni vbi erat Aula Regis; sermonem habui cum diversis nobilibus, vt cum D. Setono Patre, & D. Priore filio eius, alijsq; quibus causam mei adventus significavi, & desiderium nostrum in salutem ipsorum: illi benignè me tractarunt, & ad Regem ipsum me duxerunt, cum quo quid locutus sim autegerim non debeo his literis committere. Ab aula recessi ad Palatium Rusticanum D. Baronis Geronis, vbi non pauci Scoti nobiles cōuenerant, qui vno ore mihi promittebant, & per me Domino Redman renuntiare volebant, quod quandocunq; nobis venire placeret (quod illi nos breuè facere luadebant) se velle securitatem summam præstare, eo quod essemus Angli, nec eorum legibus obnoxij. Plura etiam promittebant de Rege ipso quæ hic omitto, nec solum nobis protectionem promittebant, verum etiam alijs à nobis missis per secreta signa quæ alijs literis aperiam. Nomina eorum qui fauent Religioni Catholice & qui possunt facillimè iuuante Deo boni fieri si diligentia adhiberetur, sunt hæc, licet adhuc longè sint à statu gratiæ: Dux D'Aubenus, Comes Huntleius, Comes Eglintonus, Comes Cathnacijs, D. Baro Setonus, D. Baro Oglebi, D. Baro Grey, D. Baro Farnhurst, & quidam alij quibus noster labor nec inutilis erit nec ingratus, modò oneri illis non simus; hoc enim summopere Domino Redman providendum est, vt habeat vnde sustentet eos quos huc direxerit, salutem ad aliquod tempus, alioquin difficillimè quicquam efficiet, imo puto quod nihil efficiet. Providendum etiam illi est, vt non nisi selectissimi huc mittantur, tam ob virtutem, quam eruditionem; si hos modo non habeat, expectandum erit donec habeat. Melius est enim nullos mittere quàm inidoneos; poterunt enim tales valde obesse, his maximè principijs, vbi tota auctoritas & existimatio causæ Catholice ab eruditione eorum quæ eam tumentur dependet. Procuret D. Redman orationes multas pro hoc opere; est enim maximum, & ad totius Europæ commodum non parum vt vides pertinens; si vnquam orandi aut laborandum fuit nunc est maximè. Vale.

IV Has literas recepi 15. Septembris. Et quia temporis angustijs & aliorū negotiorum multitudinæ prohibebatur ne illis satisfacerem, & ad diem præscriptum